

37
38

DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

I N A U G U R A L I S

D E

VIGILIO SANO
ET MORBO SO,

Q U A M

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auditoritate MAGNIFICI RECTORIS

D. D. JOANNIS CONRADI RÜCKER,
J. U. D. ET JURIS CIVILIS IN ACADEMIA LUGDUNO-
BATAVA ANTECESSORIS ORDINARII.

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit


WILLEM OUDE NAARDEN,
ROTTEROD. B.A.T.

Ad Diem 17. Octobris MDCCCLVII. hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud CORNELIUM DE PECKER, 1757.



V I R O
NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
D. JOHANNI DROST,
M E D. D o c t.
PRACTICO APUD ROTTERODAMENSES
EXPERTISSIMO, FELICISSIMO.

N E C N O N
V I R O
INTEGRISSIMO ORNATIS-
S I M O Q U E
D. GUILHELMO PAULO
MAASHOUK.

IN CIVITATE ROTTERODAMENSI
MERCATORI SAGACISSIMO.

AVUNCULIS SUIS, OPTIME DE SE ME-
RITIS, MULTUM SEMPER AMAN-
DIS, COLENDIS.

Hanc Dissertationem sacram facit
A U C T O R.

Богомилъ възмѣти сѧ

Свѧтъ Г҃еоргий



DISSERTATIO THEORETICO MEDICA
INAUGURALIS

- DE

VIGILIO SANO
ET MORBOSO.



§ I.



a est Naturae lex , divinitus statuta,
ut certo vigilet tempore Homo , &
somno utatur. Duplex hic ejus sta-
tus , valde memorabilis , totum di-
vidit vitae stadium & absolvit. U-
terque ut varia hujus conditione con-
tinetur , ad valetudinem secundam &
sinistram necessario pertinet. Hoc respectu unus aequa

A

ac

2 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

ac alter ad res, quae naturales vocari solent, optimo jure refertur. Ex iis quae constat pendetque, sanitas quolibet ita gaudet, ut in alterutro semper versetur. Verum & prior & posterior ut Oeconomiae animali respondeat, justo ordine procedat, necesse est. HIPPOCRATES, Medicorum parens, omni laude major, paucis docet: *somnum & vigiliam, utraque modum excedentia, morbum.* Ejus tum sanae, tum morbosae, consideratio usu suo tam in Theoria, quam Praxi Medica fese commendat. Ad illam igitur suscipiendam in hoc specimine Inaugurali facile adductus, rogo L. B., ut conatibus his juvenilibus faveat.

§. I I.

Ut ordinate & distincte de utraque specie vigilii (§. I.) agatur; oportet primo hoc in genere spectare. Apparet ad ejus statum naturalem animum attendenti, hunc in functionum animalium convenienti exercitio consistere. Definitio haec quam exacte rei nostrae formam exhibeat, cuique solo sensuum examine patet. Quicunque enim recte vigilare dicitur, ille omnia illa vel efficit, vel efficere potest, officia, quae anima & corpus vi commercii sui in se mutuo conferunt. Ab iis vacat omnino tranquille dormiens, quippe qui dum lecto jacet porrectus, quandam mortis speciem praefert. Quare nihil huic tam simile esse, quam somnum, Oratorum Princeps inter Romanos, CICERO tradit. Eum veterum Philosophorum plures verbis mutatis mortis imaginem, speculum, fratrem atque inertem negotiorum osorem appellare solent. Notandum autem, in definita vigili indole

indole ad partium agentium integritatem semper debere respici. Illae si laesae sint, vitiatae, vel destructae, functiones animales vel male, vel plane non exsequi valent. Harum paucae, quae tunc adsunt, modo vi-geant, & ad vitae commoda recte adhiberi possint, vi-gilantem nobis sistunt. Hic, qui talem se sponte cog-noscendum praebet, adspectum haud quamquam fallit, licet & ficta dormientis facie nos ludere queat.

§. III.

Vera vigilii ratio plane perspicitur, si animalitatis no-strae actiones seorsim curatius paulo expendantur. Hae a principio suo, vel auctore, quo primario perficiuntur, nomen obtinent. Illud anima est, melior hominis pars, naturae divinae cognata & tota antiquitati Ratio dicta. Substantia ista singularis quae & qualis sit, ipsa, quan-tum caeterum perspicacia valeat, vehementer ignorat. Simplicissima certe, quam spiritum appelles, & a corpo-re, in quo residet, distincta, quam plurimis intellectus operibus sese prodit. Ea an cerebrum colat, meningem, sanguinem, vel cor, res controversa olim & plena con-tentionis fuit. Videtur illa Medicis summis praecipue sedem in capite fixisse, quod in hoc, ceu sapientiae domicilio, facultates suas maxime edat. Verum ut ejus potissimum sit incola; diffusa tamen ubique est, corpus-que suum undique complectitur, ita ut huic non aliter, quam lux aeri, permixta esse statuatur. Anima jam haec quin vigilantibus nobis insit; nemo, qui vel parum se ipsum attenderit, dubitat. Actuofissima tunc in officina sua intentos nos perceptione sui non obscura impertit.

4 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

Conscia sic sibi existentiae propriae eorumque, quae observantur, operationes suas dedito studio ac legitimo modo persequitur. Quin etiam eo tempore uti in cogitando se praestat alacrem; ita & res corporis sui quam expeditissime gerit. In omnibus profecto ea versatur virtute, qua pro vitae conditione pollet. Contra in somno placido quantum mens se ipsam fugiat, satis cuique apparet. Nescia in eo sui nullam plane representationum, quas forte conceperit, secum recolere potest. Num vero tanta oppressa sit inertia, ut a cogitationibus feriari prorsus cogatur; affirmari nequit. In his utrum cessaverit nec ne; conscientiae fide haud probat. Neque, durante somno, libero sciens utitur voluntatis imperio in partes, huic subjectas, caeteroquin obsequiosissimas. Ab his veluti avocata nihil extra se habet, quod curet. Quare sapientes Graeci in dormientibus animam se abscondere & recedere in se, opinati sunt. Hanc ex iis emigrare & per patentissima coeli spatia vagari, ingeniose finxerunt Rabbini. Hinc, ingruente somno, hi Deo spiritum commendandum esse serio preecepere, ne hic, errore procul abductus, frustra ab evigilante quaeratur, vel peregrinum ingressus corpus proprium alii hospiti concedat. Fabula haec non adeo quidem a cultu Divino, quam vero abhorret. Mens enim, quamdiu homo vivit, corporis compagi tam arcte inclusa tenetur, ut subducere se nesciat. In somno autem, languentibus organis, impeditur vim suam representativam in se & obvia convertere. Quamobrem quasi torpida in occulto latet, nec ullam, nisi velis obscurissimam praesentiae suae notam praebet. Ast in vigili, discussio languore illo, eo pervenit actuositatis, ut proprium

prium sibi intelligentiae lumen refundat. Ii, qui altioribus incumbunt scientiis, quandoque adeo speculacionibus suis capiuntur, ut incredibile sit. Affixi his, vel unitantum rei, extra se quae aguntur nec minimum percipiunt. Hi arctissimis videntur limitibus vel cancellis coercere animam, & nosse a contemplatione mundi avertere. Attentissimos solum ad objectum suum aperitis circumspiciendo oculis videre nihil, nec fortiori etiam strepitu cieri, multis exemplis constat. Tales quam longe a communi illa absint praesentium conscientia, quae in vigilante requiritur, sponte liquet.

§. I V.

Homo, qui in vigilia constitutus est, actiones animales continuo sensuum usu exercet. Hi, generalissime considerati, perceptiones sunt, quae a rebus, corpus nostrum affientibus, in mente oriuntur. Principes eorum, qui externi audiunt, quinque numerari solent, scilicet Visus, Olfactus, Auditus, Gustus & Tactus. Totidem his, quae vacant organa artificiosissima oculi, nares, aures, lingua & cutis constituunt. Quod libet horum, & situ & fabrica distinctum, certis tantum corporum, in se agentium, proprietatibus excipiens eximie respondet. Imagines visibilium, quae obveniunt, lux radians ad oculos defert, horumque in fundo, tanquam speculo, pingit. Particulas subtilem odo ras, quae illorum aciem fugiunt, aeris inspiratu ex atmosphaera trahunt nares. Undae sonorae, a foris allatae, & pernici propagatae motu, ad aures patulas pertinent. Sapida, ori indita, & blando salivae latice so-

6 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

luta, capessit & explorat lingua. Mollia denique dura, laevia, aspera, sicca, humida & similia plura, quae sub tactum cadunt, cutis & praecipue tractant digit. Quaecunque jam ex his ad sana vigilantium organa rite applicantur; universa & singula menti (§. III.) sensiones promptissime inducunt. Hae, plures paucioresve, ab ea susceptae, claras omnino subministrant ideas, haud que fallaces. Illae vero ipsae, ut tacite somnus obrepit, sensim mutari incipiunt. Vividissimae, quae ante fuerant, obscurae evadunt, obtusae, inordinatae, vel confusae, difficiles, ac tandem prorsus silent. Molestae omnes, si quae excitantur, ut ut caeterum gratae, brevi intercidunt. Hinc medio saepe in concentu musico veluti obsurdescit homo & amoenissimo spectaculo indormit. Idem post expperrectus, interceptam sponte recuperat sentiendi facultatem, & in integrum reviviscit.

§. V.

Quemadmodum nunc sensus externi, ita & interni in vigilia laete vigent. Hi, inter functiones animales non ultimum tenentes locum, repraesentationibus, ab illis profectis, operantur. Adesse aliis dicuntur, quando anima proprias suas cogitationes cupiditatesque percipit, vel brevius statum suum sibi proponit. Isti primo ortu suo ab organis sensoriis existunt, quibus accepta referunt objecta, quae amplectuntur, omnia. Absentia haec tanquam praefentia nobis sistunt cognitionis que humanae campum describunt. In eorum numero haberi solet 1º. Imaginatio, quae actio est animae rerum, ante perceptarum, exhibentis sibi species. Hae eo plures

plures exstant magisque diversae; quo major in hoc mundo spectabili sensuum (§. IV.) fuit exercitatio. Quocunque hi extra nos vertantur, ubique illas offendunt quam copiosissime & ingenti cum voluptatis utilitatisque fructu capiunt. Solae illae, quae in visum incidunt, tam numerosae sunt & multifariae, ut mireris, locum dari in sensorio communi, quo reponi possint. Ista etiam caeteras tum multitudine, tum elegantia & claritate praestant. Ad omnes vero, qualescunque sint, recta ratione nobis formandas, instructis bene organis justam addere attentionem oportet. Mens nostra hac dum perfungitur, ad unum praecipue objectum consistit. Hoc studiose contemplando efficit, ut totius imago distincta sibi quasi impressa maneat. Sensuum internorum classem ingreditur 2°. Memoria. Haec animae tribuitur tanquam facultas singularis ideas semel acquisitas, & ut tales cognitas exacte denuo producendi. Fidelis harum conservatrix & vera scientiarum mater, tanto olim in honore fuit, ut divino Minervae nomine culta esse legatur. Coniuncta proxime est imaginationi, a qua perceptiones oblatas repetit sibique reddit proprias. Verum excellentior multo illa has non momentaneo adeo, sed continuato quodam, actu prodit. Eas hoc insuper modo ex se expromit, ut, ipsas sibi antea mandas esse, conscientia aperta testetur. Haec simul ac exolescit, oritur oblivio, vel si longiori via revocari debat, reminiscientia. Sensuum internorum vis 3°. ad idearum conjunctionem dissolutionem, distinctionem, mixtionem comparationemque spectat. Hinc variae & compositae fingendi, judicandi & ratiocinandi facultates emergunt. Has qua perfectione possideat homo,

vigi-

8 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

vigilans ipso exercitio demonstrat. Hic nae vel in publicis, vel privatis, quae sequitur, negotiis, levioribus gravioribusve, ingenium intellectumque suum continuo occupat. Physicus E. G. naturae phaenomena, quae observavit, quam egregie secum in museo suo agitat, perlustrat certisque ex principiis exponere studet? Quam longe lateque cogitationibus suis exspatiatur? Mox sursum evectus coelum &, quae hoc tenent, sidera affectatur, mox descendens maria & terrae viscera animo percurrit. Idem autem domiens tantum abest, ut meditationibus his insistat, ipsis ut invitus valedicat. Quod si forte somnio tentetur, sapiens, deliri instar, stultis se deludit imagunculis: Phantasia quidem, sensibus externis interquiescentibus, praepollet ita, ut vera omnino & praesentia his se agnoscere facile sibi persuadeat. Verum inania illa & inscita, quae effinxit, phantasmata evigilans dein vehementer ridet. Cum cogitata secum recta reputat via, pleraque omni ordine, nexu ac fundamento destituta esse, deprehendit. Neque raro illa brevi evanescunt, ut, an, & quae, subfuerint, prorsus neosciat. Caeterum advertere est, insomnia non parum a somno abludere & proxime ad vigilias accedere. A sana quiete aliena mentis vacationem ac remissionem a diurnis studiis frustrari, & lassitudinem creare haud mediocrem.

§. V I.

Tempore vigillii corpus nostrum quoque sustinet actiones, quas anima jure commercii celebrare solet. Haec, rerum humanarum moderatrix, in illud, ut subditum sibi aliqua ex parte, energia singulari dominatur. Imperium

rium hoc, quod suscepit, sola voluntatis vi gerere dicitur. Ad hanc efficiendam ipsa prius determinatis impellitur causis, appetitum vel sensitivum, vel rationalem, carentibus. Hae quamplurimae sunt, tam externae, quam internae, fortiores, debiliores, amicae & adversae, quarum natura & agendi ratio Medico examini non patet. Illae autem, cujuscunque sint virtutis, ut mentem incitare possint, praesentem (§. III.) & sanam vigilans habeat, necesse est. Affecta jam haec, cogitationum quieta tractatione interrupta, impetum quendam concipit, quo suam actutum in corpus potestatem exserit. Illata hac modo inexplicabili, in eo exoriuntur motus, qui a principio, quo fluunt, voluntarii, & ab instrumentis, quibus peraguntur, musculares vulgo vocantur. Hi in statu naturali nunquam, nisi ex jussu voluntatis, eveniunt. Cessante hac, quam promte & alacriter etiam ante processerint, sicutuntur. Musculi, quotquot sunt, qui ejus ministerio furiguntur, flaccide tunc & molliter desident. Verum utut extero habitu inertes appareant & lenti; morbosa tamen laxitate ac torpedine nequaquam marcent. Vegeti contra omnes & turgiduli vitalibus, quae affluunt, liquidis continenter aequabiliterque rigantur, ita ut functionibus suis mire obsecundent. Atque ad has exercendas se in vigilantibus quam expeditissime accommodare solent. Ut enim a nutu animae pendent, volente hac, minimo temporis puncto erigunt se, tument, turgent insigniter & indurent. Toti, contractione sua magis minusve valida, facti breviores, partes, quibus attexti sunt, pro vario fibrarum fuerum situ, nexu & decursu, trahunt, tendunt, vertunt, flectunt, elevant,

10 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

deprimunt, firmant, suoque positu in omnem sensum mutant. Ea ratione complures exigunt motus, quibus non membra solum singularia; sed integrum quoque corporis nostri molem levissima opera ex uno in alium locum transferunt. Neque unquam, quamdiu vigilatur, cuncti simul otiantur. Semper alii aliisque alternis vicibus majori minorive numero & concursu agere deprehenduntur. Homo, si vel decenti forma sedeat, manibus, ut dicunt, in signum insertis, non parum suos adstringit musculos. Hi universum ejus truncum super puncto gravitatis sua valde mobili erectum & quasi firmatum tenent. Sed, appropinquante somni hora, an pergunt obtemperare faciles motrici voluntati? Nemo non plus semel in se expertus fuerit, dormituro quam grave sit, vel minimam actionem muscularam debita cum agilitate & constantia obire. Caput nutare ipsi incipit, lumen deficit ocellis, palpebrae fessae labant, pedes gradu suo vacillant & spinae columnna huc illuc cadit instabilis. Videntur ita omnes habentiae illae & chordae, quae machinae nostrae adjectae sunt, quodammodo esse resolutae, ut contrahi amplius ac adduci renuant. Etenim non laxae tantum, sed inhabiles etiam servitio suo, quod debent animae, satisfacere nequeunt. Haec ideo, percepta resistentia ista, vel impotentia potius nonnaturali, consultissimum dicit; si ita loqui liceat, laudatum aliquantis per deponere imperium, & in tranquillo se collocare.

§. VII.

Exposita vigilii conditio absque operosa investigatio-
ne

I N A U G U R A L I S. II

ne clare cernitur. Manifesta enim omnibus ex facili observatione actionum animalium in variabili cursu suo hauriri potest. Verum, quae proxime dispicienda nobis, physica ejus ratio altioris est indaginis. Ea nimirum gravissimis continetur causis, quae, subtile & occultae, in microcosmo nostro principatum tenent. Sed, ne in tenebris offendamus, a notioribus ordiri oportet. Demonstratum dudum est, sensibus externis primo loco organa praeesse sensoria (§. IV). Haec quo perfectiora sint; eo nos illis felicius defungi, & minus semper in vitiatis valere. Ista quidem iis legitime colendis universa, artificiosissimaque manu composita, fabrica sua inservire. Ex innumeris autem, quibus constent, partibus nullam proprie mirabilem illum sentiendi edere effectum, praeter nerveam. Fulgentissimus sol licet utramque oculi cameram radiis suis compleat, nisi sanam attingat retinam, nec debilissimae lucis umbram reddit sensibilem. Idem de reliquis statuendum esse, Anatome animata docet. Haec praeterea ostendit, nervum, in se sensu carentem, impressione nata quacunque, a fine ejus recta ad initium producta, necessariam animae perceptionem afferre. Intercipi hanc & excludi, si vel extra, vel intra cerebrum integra ejus communicatio vi praeternaturali fuerit interrupta vel sublata. Obstructo hinc, exhausto aut depravato viscere illo, non externos solum, sed internos quoque, subito aboleri sensus. Hos tradunt dein Medici organo uti sensorio communi dicto. Hoc, quod medullae sit principium, rerum, iis objectarum, vestigia sibi ultimo veluti inscripta gerere & specie quadam inexplicabili toties menti impertiri, quoties afficiatur. Hanc proxime illud amplecti & tan-

12 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

quam regiam quandam occupare. Dominatricem illam (§. VI.) tandem, actuosam ibi, potestatem; sibi concessam, praestare & in corpus demittere. Hinc primum certa lege nervos rursum conciere, qui, inde oriundi, musculos voluntarios adeant, & ad memoratas actiones allificant. Ex quibus, stricte prolatis, apparet, illos praeclarum tueri nomen, quo motus & sensus ministri appellantur.

§. VIII.

In systemate nervoso jam quaesita residet vis, qua animalitas nostra, dum vigilamus, tempestive fruitur. Ea tum ita comparata est, ut mentis corporisque conjunctionem mutuis officiis florere faciat. Haec tam diu semper prospere cedunt, quam illa efficaciam suam naturae convenienter usurpare potest. Sed fluxa ipsa ac fugax, ut valetudo optima, opere assiduo minuitur, sensim defluit & consumitur. Perdita sic, vel si mavis enervata, functiones omnes, quas alit, animales perimit sufflaminatque. Quaenam autem ejus indoles sit & scaturigo, summo dudum studio disquisitum fuit. Multae hic occurunt opiniones valde ponderosae, & magna, qua nituntur, auctoritate celebres, quarum quae prae aliis assensum mereatur, vere dubites. Missis controversiis omnibus, quibus dirimendis juvenile judicium impar, notatam vim in liquido, substantiae nervosae medullari infuso, sitam esse sentimus. Hoc in cerebro & cerebello ex arterioso sanguine florido generari, tam ex hujus copia, quae advehitur, quam illorum mole & fabrica subtilissima tenerrimaque haud'levi conjectura patet. Certe non consentaneum erit credere, viscera illa gemina,

na, tanto munita praesidio, tamque mirifico vasorum apparatu constructa, ut prae mollitie ferme diffluant, humoribus saltem, in communem circulationis usum tragiendi, fuisse dicata. Nobilissima forte totius machinae nostrae omnibus omnino excellunt dotibus, quae ad secretionis provinciam administrandam pertineant. Hanc vero abesse, positis illis, rationi vehementer repugnat. Fluidum paratum quoque tenuissimum mobilissimumque esse, ex fabricae subtilitate & efficacitate ejus stupenda arguere licet. Quare illud, ut Divinum quid a Veteribus celebratum, & sublimi spirituum titulo insignitum fuit. Hi, suis ex fontibus manantes, per medullosam nervorum substantiam se quaquaversum diffundunt. Videntur ea, qua praediti sunt, virtute partes, in quas influunt, animare, hae ut ad sensus motusque animalles obeundos sint paratissimae. In vigilantibusque ergo oportere, ut & bene elaborati & satis copiosi adsint, nec non debite moveantur. Meabiles vero valde, aerae forsan instar, & mutabiles nati continuis sub operationibus, quibus impenduntur, sensim sensimque perdi ac degenerare. Deficientes hinc, vel torpentes, destituere nervos & hebetare adeo, ut insensiles immobilesque blandissimum somnum conflent.

§. I X.

Distincta vigilii forma, quae huc usque descripta est, ad vitae animalis actuositatem solum referenda esse, intelligitur. Haec, ut talis, in eo tam clare nobis elucet, ut in dubium vocari nequeat. Tota quasi circumscripta, expositas quotidie patitur vicissitudines & cuique

B 3 dat

14 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

dat conspiciendas. Ex his, curate spectatis, quam mutabilis sit & transitoria humana illa praestantissima, apparet. Haec jure sic salutatur, quod hominem proprie, ut compositum ex anima rationali & corpore organico, includat. Binae hae partes in eo statu re vera, ut sic dicamus, quam amicissime inter se vivunt. Una alteri suam intimo ex affectu navat operam. Prior, quae statuitur ex Divinitate hausta esse, essentialē & eminētissimam naturae nostrae partem omnino complectitur. Atque ea, sicia posteriori conspirante, fini, ob quam existit, convenienter in vigilia tantum agere solet. Eadem in somno, tanquam in obscuro degens, nihil prorsus, quo expetatur, suscipit otiumque affectat (§.III.). Homo ita absens proprium sibi corpus brutum potestati suae committit. Hoc vero tunc, ut vigilante illo, vitam suam percolit. Corporea haec, quae audit, ab animali privata & seclusa, rationem quodammodo machinae, vel automati consequitur. Proprii juris partibus, quibus inest, incredibili fabrefactis artificio, principium movens suum, mere physicum, continet. Actuata hoc tam parum a mentis regimine pendet, ut hanc prorsus fugiat. Etenim quid sit, cui quaeſo mortalium conſtat? Ignota omnibus ex ſe & ignorantissimae plebi & perspicacissimo Anatomico aequē latet inſtitia invincibili. Occultiffima, ſolum communī cognitionis via, nempe vivorum corporum ſectione & ſedula examinatione, utcunque animae repraesentatur. Quin etiam, hac volente vel nolente, generata ſemel ad extrellum usque halitum. perennat. Quod ſi demum vera morte exſtincta eſt, unaabit cum altera, & artis medicae, utut caeterum valentis, potentia revocari nequit. Quare aequē in dormien-

te

te, ac vigilante, perstat, innumerisque ex effectibus actionum vitalium naturaliumque patet. Universum humorum flumen per vasa arteriosa & venosa absque notabili quietis intervallo rapide volvi, respirationis continuae & pulsus non interrupti eventu comprobatur. Amicus, qui his subnascitur, calor majori se minorive gradu semper circum circa fundit. Coctiones, secretiones, & excretiones in vivo & sano tempestive pergunt. Ex iis alvinae quidem & renales non adultis quidem, sed infantibus, qui simplicem fere agunt vitam mechanicam, quolibet fere tempore accidunt. Illa ergo perennis, ad nostri salutem necessaria, & utcunque aequabilis, multis licet implicata adversitatibus, privam semper tuetur oeconomiam. Haec ita naturaliter ut disposita est, a mentali disjuncta esse conspicitur. Verum tamen non prorsus hanc praeterit, sed variis iterum nervosae partis suae affectionibus in consensum trahit. Hae cum crebro minus in valetudine prospera, quam infirma emergant; ad vigilium potius morbosum, quam sanum reducuntur. Istae, in hoc illoque obortae, directe animam petunt, & invitam perceptionibus tam gratis, quam ingratis, subinde occupant. Appetitus inde mixti, spontanei & instinctus, quos naturales vocant Medici, exsurgunt, quorum vim Practici non raro cum stupore admirantur.

§. X.

A generali vigiliæ expositione ad fanae determinacionem absolutam devenimus. Haec, perspecta illa, non potest non cogitatione oppido comprehendendi. Videlicet respiciendo ad actiones animales enumeratas (§. III.) ipsa

16. DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

fa harum alaci commodaque productione definitur. Ope-
rae pretium erit, complicatam hujus ideam adhuc paulo
pleniū evolvere. Facultatem repraesentativam mentis
nostrae diversos admittere gradus, clare animadvertis-
mus. Vividior quandoque, vel hebetior, celerior, vel
tardior, firmior & constantior, vel levior, esse solet.
Multiplex hoc ejus discrimen in hominibus, aetate, sexu,
temperie, vitae genere, & studio discrepantibus se pro-
dit. Sed illud unus idemque, si vel parum ingenium
exornaverit, variis temporibus in se ipso deprehendit.
Quamdiu sanus rite vigilat, praesentissima anima non
solum simpliciter perceptiones & ideas qualescumque con-
sequitur, sed, qua potest, attentione exquisita arripit sibi
que imprimit. Dedita se illis applicans opera, vivam cla-
ramque rerum cognitionem sibi comparat. Praeterea
Doctus quisque tum in cogitando strenuus, in judican-
do acer, & in argumentando argutus, omnes intellectus sui
vires ex se expromit. In organis sensoriis egregius in-
est vigor, quo sensibilium actionibus liberrime patent.
Hae, quem ad se saepe alliciunt, absque vel minima
fatigatione, quam diutissime retinent animum. Hic vi-
cissim iis, ut lubet, insistit & maximam plerumque vi-
giliae partem tribuit. Quod si vero ab illis organa re-
movet, occupatus in sede sua interiori circa ideas, ante
acceptas versatur (§. V.). Vario harum respectu magister
sui instruit se ipsum magis magisque atque genio suo in-
dulget. Interea ne sibi saltem serviat, ad necessaria
vitae communis bona assequenda voluntatem suam diri-
git. Hunc in finem corporis motus, quorum auctor
est (§. VI.), instituit moderaturque ita, ut congruit. Illi,
primi agentis libera potestate excitati, alii post alios in-
ci-

cidunt, impetumque ejus & robur musculorum eximium referunt, a quibus expediuntur. Atque haec opera sunt, quae, magis minusve composita, in vigilio fano optabili cum facilitate, constantia & delectamento succedunt. Eorum non singulorum solum, sed plurium etiam, commoda adeo contingit administratio, ut multa simul conficiantur, comutentur, commisceantur & committantur.

§. X I.

Sanus quisque, licet actuosissimus, ad tempus quoddam sine ulla molestia se vigilare observat. Hoc emitiri diei spatium, ut noctis somnum, sacri nos Scriptores docent. Prius stadium, vitae nostrae naturalissimum, longius excurrere posteriori, in universum consentitur. Illud ex singulis 24 horis, quibus terra, circa axin suam versa, solis quasi ortum & occasum describit, communiter fere duas tertias explet. In media florentiori aetate, oeconomia animali exacte stabilita, id ita obtinere solet. Verum in juniori quavis ad virilem fere usque, homo, naturae obediens, diutius dormire gestit. Infantes vix horulam unam alteramve integre vigilant, eamque praecipue maternum lac sugendo transligunt. Tenelli, mollibus admoti mammis, ut plurimum leni sub susirru cito rursum somno occupantur. Pueri dein, paulo grandiores, hunc brevi etiam intervallo prae aliis petiscunt. Vesperascente coelo, jam eo graves cubitum discedunt & in multam lucem quiescunt. Suscitati aegre ex hac frequenter reponunt caput, & denuo stertunt. Adultiores quiqe fere ut annis crescunt, ad majorem vigilandi habitum perveniunt. Hi, si incolumes sint, nec multum laboribus fracti, vincunt

C

fa-

18 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

facile somnum arcentque. Verum hic senibus iterum tranquillioribus accedit diuturnior, augeturque magis magisque, donec demum in longissimum soporem collocentur. Undenam nunc haec merito quaeritur vigili fani differentia? In elegantissima hujus perquisitione diversum hominis statum, qui ex incremento aetatis provenit, percurrere & ob oculos statuere oportet. Certum est, laudatum actionum animalium usum ab apta organorum sensoriorum dispositione plurimum dependere. Ea in infantulis, p[re]e summa teneritudine & sensilitate totius systematis nervosi, objectorum externorum mutationes, vel impressiones, parum fortes innoxie non ferunt. Ne forte his temere & incaute exposita laedantur, naturaliter etiam & intus & extus mucositate quadem obfessa sunt. Haec non nisi temporis successu, aucto solidorum fluidorumque motu, fusa & attenuata discutitur excerniturque. Massa sanguinea universa tunc quoque blanda valde, serosa, & dilute rubella tenellis, mollibus, & agilissime quidem, sed debiliter, oscillantibus canalibus, longe numerosissimis, singulari moderamine circumvehitur. Non agitata porro potenter partibus musculosis, ut pote adhuc parum valentibus, sola vitali systole cordis & arteriarum pulsa fluit. Hinc ut cuncta viscera, ita & cerebrum cum cerebello placide invisens, dimissis liquidis secretis, viam suam progreditur. Ex quibus efficere est, sensorium commune (§. VII.), vacuum adhuc ferme, in alta quiete esse constitutum. Animae ergo rudi ex se & spissa caligine consitae repraesentationum materiem omnino defieri. Exinde infantiae proclivitatem perpetuam in somnum ducendam esse, non obscure, ni fallimur, liquet. Prout dein partes corporis magis magisque

que evolutae adolescunt, nervorum pariter functiones confirmatae majori cum contentione celebrari possunt. Sed cito pede lapsa aetas vergere solet, qua cum in nobis omnia alienam longe faciem induunt. Scilicet, imminente senio & decurrente, mortis naturalis causae paulatim succrescunt. Vasculosum illud, mobile, sensile, turgidum, vel, ut Veteribus placet, humidum radicale, absumitur. Animalitas ideo sensim sine sensu friget, obtorpet & occidit, adeo ut nihil restet, quam fato cedere.

§. X I I.

Propositum vigiliae sanae tempus (§. XI.) non tam stricte limitatum est, quin extendi & coarctari possit. Voluntas humana id veluti rationibus suis accommodare novit. Oeconomiam animalem (§. IX.) ejus operatione efficaciter regi, ex prioribus lacet (§. V. & VI.). Mens jam suo fruatur ingenio. Amica Musis nihil putet jucundum, quam perpetuum cum his habere commercium, vel scientiis incumbere. In his ut proficiat, quam avide lucubrationum babit fuliginem? Eo intendit usque industriae nervos, ut nocti saepe studia aequet. Pigrum oculis excutit somnum & tanquam alienum a se depellit. Vel siquidem omnem exuere nequit, detrahit ei quam plurimum & vigiliae addit. Fatendum quidem, in principio perquam arduum esse ac molestum, suavem ejus amplexum effugere. Verum citius evenit tardiusve, quod praeclarus canit Poëta:

Omnia conando docilis solertia vincit.

Affuetus nempe ad Cleanthis, ut dicunt, lucernam sedere, unam non tantum, sed plures noctes, pervigilare potest. Has

50 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

Iucubationum suarum cooperatrices effecisse, vigilans limus hominum, Scopelianus sophista, fertur. Nulla si lescet aetas de vigiliis Demosthenis, qui dolere se ajebat, si quando opificum antelucana victus esset industria. Multae porro occurunt occupationes, quibus dormiendi tempus lubenter insumit sapiens. Hoc amicitiae, arti, fortunae & famae consecrare, quid quaeso dulcius & humanius? Nec desunt, qui assiduo usu corpus qualibet hora ex somno moliri queunt. Julianum Imperatorum toties, quoties voluerit, evigilasse, memoriae proditum est. Imo magni viri non vigiliam solum ut veram collaudant vitam; sed idonea etiam ad diuturniorem servandam commendant media. Haec sedulo adhibuisse ipsos, sed non cogitasse de vi, naturae illata, per quam exitiali, credere oportet. Vigiliae vero illae voluntariae, ni diu nimis protendantur, absque gravi perturbatione sustineri & cum sanis annumerari queunt. Portentosae caeterum sunt, si fide dignae, quae ultra hebdomadas, menses & annos prolatae esse leguntur. Plinio auctore C. Maecenati triennio nullo horae momento contigit somnus, Hunc Troglodytas, ferores Aethiopii Populos, cepisse nunquam & pecorum greges secum circumducendo & gentiles decantando fabulas repulisse, ex Agatarchide refert Photius. Similia complura in Historia Medica existant exempla, quibus autem enarrandis immorari, praesens vetat institutum. Satis hic notasse fit, vigiliam naturalem (§. IX.), volentibus nobis, posse salva sanitate multum prolongari, diduci, variarique. Beneficio hoc singulari innumeris prospectum esse vitae commoditatibus necessitatibusque, quae conjunctam corporis animique nostri operam requirunt.

§. XIII.

§. XIII.

Considerato vigilio fano ; proximum est morbosum perpendere. Hoc vulgo vocatur Agrypnia, graeca voce, quae somni absentiam innuit. Pervigilium proprie definitur nobis status praeternaturalis, quo homo irquietus a functionibus animalibus plane feriari impeditur. Harum si quidem non omnes, aliquae tamen, & potissimum sensitivae, nunquam non permanent. Hae vero nequaquam eo, quo in sanis, modo solent continuari. Turbulentae plus minus, alteratae & irregulares inutili se operositatae frangunt. Mens, quantum etiam laboret, ad sui potestatem pervenire nequit. Invata veluti cogitationum, sibi oborientium, fluctibus jactantur. Impotens ita sui organorum sensoriorum affectiōnibus more suo se subtrahere nequit. Adstricta his continuo minimis etiam, & quandoque levissimis, gravius solito percellitur. Non magis favet jucundis, quam injucundis, inopportune quibusvis adventantibus. Impatiens valde mox in duritiem lecti, incongruum pulvinarium situm, tegumentorum sarcinam, loci incommoditatem & plura ejusmodi insomniae causam vertit. Mox luminis splendorem, intempestivam praesentium agitatem, strepitum quemlibet & externas injurias incusat. Verum inedia ipsa & concubia nocte, profundo ubique silentio regnante, conscientiam sui & corporis abjecere nequit (§. III.). Hoc ut inquieta ipsa variato frequenter motu huc illuc conjicit, delassat & conficit. Homo ergo, velit nolit, quamdiu morbo detinetur vigilio, dormire praecepitur. Miser crebro erexit sibi consuetum queritur somnum. Omnimoda hu-

22 DISSSERTATIO THEORETICO MEDICA

ius privatio talis a simplici defectu, quo incipit, discerni potest. Distinguenda quoque ab illa Pervigilii specie est, quae Coma vigil, vel Typhomania appellatur. Haec enim, febrium malignarum comes, praeter vigilias somnolentiam vitiosam deliriumque sibi habet conjuncta. Plures, quae intercedunt, differentiae, aliaeque, quae somnambulationes spectant, hoc loco non veniunt dispendianda.

§. X I V.

Pervigilium (§. XIII.) quid praeternaturale esse censendum, tota annuit Medicorum schola. Haec, & jam antiquissima, illud ad morbum, hujus causam & symptomata scite revocat. Affectus ille sub triplici hac forma certo quodam respectu repraesentari potest. Eius, ut morbi, ea est conditio, quae, corpori humano viventi inducta, naturae sanae actiones manifesto turbat laeditque. Talis, qualis animo concipiatur, & genio & ortu suo determinatus, a nullo ailio praecedente, vel ingenerato, existit. Sanissimo incidens pertinacior acriter decurrit, & concitato paulatim tumultu fervidiori somnum fugat. Non dubium est, quin solitarius ita sine alia, quam mentali, aegritudine produci interdum queat. Cum proin modum excedat (§. I.); citis turbis, multorum malorum causa evadit. Frequentissime autem pervigilium, ex aliis oriundum morbis, symptomatis nomen adsciscit. Ex iis, qui parum violenter modo affligant, perpauci sunt, quibus non accedat. In febribus plerisque, si non omnibus, continuis, remittentibus, periodicis, inflammatoriis, exanthematicis aliisque semper residet &

mi-

mirifice exagitat. Cachecticis, melancholicis, & maniacis adeo tenaciter inhaeret, ut nulla fere arte tolli possit & devinci. Arthriticos, podagricos, scorbuticos inveteratos, similesque doloribus saepe ipsis vehementius excruciat & divexat. Nihil enim acerbius est infestiusque, quam somno, quandoque urgente, non posse perfrui. Ea, quae hujus eludendi causa cui adhibentur, instrumenta pessimum etiam tormentorum vim obtinent. Medicus saepenumero nec majorem ulla re gratiam sibi apud aegros parare potest, quam propinando vigiliis laborantibus nimiis anodynūm. Hoc vero nunquam tuto exhibitur, nisi diversae admodum illarum causae bene perspectae habeantur. Momentosum ergo harum examen, quod nobis ineundum proponit Symptomatologia pathologica, sequimur.

§. X V.

Natura pervigilii (§. XIV.) in justo diuturniori majorique systematis animalis nervosi actuositate sita est. Haec in valetudine varia multiplices subit mutationes, quas serie quadam exponere couenit. Quod si ea prorsus concidit oppressa, ita ut Medici auxiliatrice manu fuscitari nequeat, profundissimum arctissimumque, morti subsimilem, ponit somnum. Naturalem, suavissimam laborum requiem, nobis conciliat, cum, imminuta multum mobilitate fana ad sensoria & muscularia munera persequenda non sufficit. Torpida in eo, non vero plane dejecta, rerum quarumlibet, utcunque fortius agentium, vibrationibus adhuc auscultat. Hinc placidissime dormientem, nec sponte evigilaturum, facto E. G.

con-

24 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

concussu & jactatu corporis modico, expergefieri patitur. Jam integra perviget, quamdiu optabilis vigilii usus nobis conceditur. Accommoda eo tempore ad legitimam sensationum exercitationem, mirandos etiam voluntatis effectus paratissime excipit. Neque, ut optimo modificata est, defectu ullo vel excessu peccat. Praegresso recreata somno, ceu pabulo quodam, quod suarum, partium est, interdiu rectissime efficit. Peractis iis relaxa paulatim elanguescit novumque, quo indiget, vigorem a placidissimo illo Deorum, quem vocat Nasso, trahit. Verum in pervigilio continenter laboriosa & intensa non fatiscere prorsus posse videtur, noctesque per multas, diesque sine intermissione constat. Interea immodica hac assiduitate de tono quasi suo, vel aequilibrio, plus minus dejicitur. Incitata enim acrius, longiusque producta, agitatissimum sensorium commune tanquam aestu quodam perfundit. Conturbatis hinc sensibus internis & externis, mens, impos sui, delirat & vigil errantibus ludit insomniis. Actuositas animalis a minima sic ad maximam per varios gradus adscendit. Horum quot inter vigiliam sanam & morbosam intersint & qui circumscribant utramque, exacte definiri nequit. Quodsi de chordis musicis ageretur, ex tensione & percussione diversa oscillationum numerus atque ex hoc soni & harmoniae perfectae ac imperfectae ratio deduci posset. Non autem absolum erit vero, licet haud demonstratum, actuositatis illius excessum a vividiori motu liquidi nervosi proxime profici (§. VIII). Hoc aequabili ac jugi in partes, animalitatis ditioni subjectas, influxu & refluxu ex his regulari incomparabilem suam pandere energiam. Organa sensuum, hac imbuta,

ta, objectorum, sibi applicatorum, vim frustrari nunquam, sed menti actutum percipiendam praebere. Hanc, meantibus libere spiritibus, ministerium suum vigilansime curare. Actis autem concitatus istis pertinaciusque, nulla, quam avide etiam quaerantur, quietis dari momenta. Nam, re bene considerata, patet tunc totus repraesentationis, tam internae, quam externae, campus. Materies, ei excitandae idonea, nullo fere vitae tempore abest. Alia semper ex alia incidit, &, si forsan peregrina deficiat, aeger inquilina abundat. Ecce nunc vigiliae praeternaturalis necessariam durationem! Haec an itidem succi nervei acrimoniae, vel intemperiei cuidam, tribui possit, non liquet. Ejus blandities summa, quae luculentissimis adstruitur argumentis, ex sola sensilitate vasculosae, vel fibrosae, qua vehitur, texturae medullaris satis superque elucescit.

§. X V I.

Universa Pervigilii contemplatio ad natam systematis animalis actuositatem nimiam (§. XV.) plenius cognoscendam tendit. Haec, obscura in se, manifestiori orgasmo febrili, quodammodo illustrari posse, videtur. Accenso hoc, massa sanguinea statim in citatissimum rapitur motum. Ante quae alacriter permanaverat vasa arteriosa & venosa, jam veluti torrentis instar fluit. Eo impetu correpta tam vehementer exaestuat, ut aegrotans quandoque peruratur. Ingens hic calor & pulsus incitatissimus cursum ejus volucrem vel solo tactu nobis declarant. Haec & plura actiones vitales valde fervere, apertissime ostendunt. Quaecunque alia corpus huma-

D

num

26 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

num alit fluida, inertiora etiam velocius provolvuntur. Num vero solum nerveum eodem semper gradu quolibet sub regimine ferri, quis sentiat, dubitamus. Subtilissimum omnino omnium in morbis quamplurimis aucta mobilitate sua pessimas excitare tragedias, quem latet? Fortiusne ruit saevitque, quando vel absque jussu mentis motus voluntarii surgunt? In vigilia itaque morbosa ipso ex functionum animalium progressu fluxum ejus continuum rapidiorem esse, arguere licet. Hic jam cum accidentalis sit, certas statim incitatrices ejus causas agnoscere oportet. Hae perinde ac aliae, qualescumque fuerint, quae sanguinis undas in febribus pellant impetuosius, determinato modo existunt. Cunctae, quae nobis obveniunt, in se respectae, qualitatibus permultum discrepant. Ut ut autem diversissimae sint; in unum tamen conspirant effectum, a quo fluidi nervosi motus vehementior (§. XV.) redundat. Ille, qui pro hujus causa proxima haberi potest, generali irritantis nomine non inepte salutatur. Hoc enim, ceu stimulus quidam acrior, plerumque praeter naturalem in corpore animali facit irritationem, qua hujus spiritus ad systema nerveum alacriter lustrandum permoventur. Neque interest, cui parti vivae ille iniciatur. Nam inter omnes consensus intercedit intimus, quo ex aequo fortis suam partiuntur. Advertere modo est, non vi quacunque stimulatrice somnum illico posse praeverti vel exturbari. Ea, quae hunc abigat, necesse est satis valida sit & naturae adeo inimica, haec ut prius interquiescere nequeat, quam hostem expugnaverit.

§. XVII.

§. XVII.

Proxima Pervigilii causa (§. XVI.), quam intellectus distinguit, cum iis intime cohaeret, quae remotae vulgo appellantur. Hae enim re vera illam non modo contingunt, sed conficiunt totam. Plurimae earum cum irritationis specie sistema nervosum infestent; stimuli merito dicendi sunt. Hi copiosi valde, & inter se plurimum discriminati, offenduntur. Anima hic in primis annumeratur. Haec rempublicam nostram in Principis gratiosi & Tyranni quandoque morem gubernat. Nam & benigne se & tam acerbe aspereque gerere potest, ut maximam nobis cladem minetur. Nae vel sola voluntatis suae pertinacia in sanitatis perniciem longissimum trahit vigiliis tempus (§. XII.). Sed inmitior interdum, exuta veluti ratione omni, in tantam erumpit violenciam, ut nec sibi ipsi parcat. Multo autem plures sunt stimuli, pure physici, qui corpori insiti humano, ingesti, applicati, vel quocunque modo impressi, spiritus turbulenter percipiunt. Nonnaturales illi & praeter naturales alii mole sua & acrimonia, alii labe multiplici & pravitate, & motus vehementia alii agunt. Universi ergo in duas generales commode distribui possunt classes, quarum altera immateriales & materiales altera obtineat. Priores a mente quod fluant, & posteriores a causis corporeis denominantur. De singulis nunc seorsim differe-re, ex proposito pergitus.

§. XVIII.

Prima Pervigilii causa (§. XVII.) in anima crebro

D 2

con-

28 DISSERTATIO THEORETICO MËDICA

constat. Haec, ut ita dicamus, non minorem in actionibus suis, quam vivens corpus nostrum, probat irritabilitatem. Tranquillissima prorsus rebus vacat contemplandis, quas vel amoenas, vel scitu sibi utiles esse cognoscit. Has contenta secum dum tractat, serena quasi aequali fruitur temperie. Sedula liberaque cultrix sui ideas, quas cepit, versat, digerit, seponit, resumit novas ac commutat. In his ita sese exercitat, ut potentiam motricem suam (§. VIII.) optatissimi commercii legibus simul attemperet. Vigiliis fructuose exactis, ineunti somno non solum sponte indulget, sed constringendam se tradit. Non pauca, quae eum praecedunt (§. III.) invitantque, incommoda persentiscens in medium consulit & cogitationum vela placide contrahit. Verum si olim felici imaginationis lusu saturnia sibi in hoc mundo finxerit saecula; se ipsam misere fefellit. Millenas esse & vitae & fortunae vicissitudines tolerandas, experientia sat frequenti & fere quotidiana dicit. Ex iis multae tam graves sunt, quas ut, nisi in anaesthesia sit, sine agitatione continent percipere nequeat. Importunae inde veniunt curae, quibus ceu aculeis pungi ingeniose & vere dicitur. Irrequia hinc infixas sibi eximere & evellere spinas frustra saepe studet. Anima, fortius sic irritata, systema nerveum oppido lacepsit & ad actusositatem immoderatam adigit (§. XV.). Quin imo alia multa occurrunt objecta, quae sola semper praesentia ei invigilare adsereres. Haec quaecunque, vel momentosa, vel singularia, vel inamoena, esse possunt. Homo E. G. arduum quid moliatur, vel meditetur opus, salutis honorisve ergo sibi commendatissimum. Hic intenta omnimentis acie, illud amplectitur, volutat secum & tanquam in

in speculo perpetim intuetur. Atque licet dormitum eat ; insomnes tamen ducere noctes cogitur. Silentium, solitudo, & obscuritas ipsa vividissimas ejus reddunt representationes. Quod si forte virium ex defectu, sensus & motus externi torpescunt ; interni nequaquam cessantes cogitata perpetuis somniis repetunt. Sed irritabilis anima nostra longe adhuc vehementius exstimulari potest. Conversa primum in se, sentit sibi statim ex adspectu boni cogniti appetitum suavem & mali horrem nasci. Utriusque tot gradus esse animadvertis, quos vix assequatur. Experta vero prodit, se iis interdum tam vehementer affici, ut junctum sibi corpus etiam intensissime commoveat. Affectus hi vulgo dicti duplices grati, vel ingrati, in varias abeunt species. Priores ad gaudium, perichariam, laetitiam, voluptatem ac amorem ; & posteriores ad tristitiam, timorem, terrorem, pavorem & iram referri solent. Pathemata haec, & quidem vehementiora, diram aliquando nobis conflant tempestatem. Adversissima profecto sanitati nostrae non ingentes solum pariunt morbos, sed ipsam eripiunt vitam. Ex innumeris, quas secum trahunt, noxis fugam somni jucundissimi hic saltem meminisse oportet. Eo, quo irruunt, modo impetuosisimo illum facile ejiciunt. Nam simulac accident, proritata anima proxime se in sistema nerveum infundit, hocque tam acriter concutit, ut spiritus confestim fluctuant. Hi, quaqua versum discurrentes, cunctas partes, tam solidas, quam fluidas, pulsando in violentissimos citant motus. Neque ipsi post, volente licet concitatrice ista, continuo consilescunt. Furientes diu ad huc, fere instar maris undosi post procellas, sensim desæviunt. Hinc quæ ab his stimulatione nimia creantur

30 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

tur vigiliae etiam quam pertinacissimae sunt, & ad statuum naturale aegre reducuntur (§. XI.). Evidem hæc, quæ in affectibus gratis obtingunt, facilius feruntur ac ingratis; at nunquam tamen molestia carent.

§. XIX.

Agrypnia frequentius a stimulis corporeis exoriri sollet (§. XVII.). Hi tam numerosi sunt ac multiplices, quam morbi, quibus plerumque ingenerantur (§. XIV.). Ut justo dispositi ordine appareant; eorum quique, qui agendi ratione congruunt, una etiam examini commode subjiciuntur. Acerimi omnium & maxime hostiles in doloribus eminent. Eam enim esse horum vim, qua ut animal quocunque exhorrēat, notissimum est. Ingratissimus ejus sensus, cuique mali ineucti ideam semper affert. Hanc Medici ad violentam fibrillæ nerveæ distractionem restringunt. Haec jam innumeris fit causis, quibus totum fere corpus nostrum est expositum. Nam structuram hujus quo subtilius Anatome rimatur; eo pluribus nervorum propaginibus pertextam esse inventit. Quaelibet quoque hujus pars membranacea, vasculosa, ligamentosa, carnea & tendinea, si laedatur, maiorem minoremve profert sensitatem. Haec quamplurimis in morbis ad dirissimum usque dolorem increvit. In phlegmone quid quaeſo atrocius? Vivi instar urens ignis & acutissime pungens aegros sine remissione excruciat. Osteocopos ille, qui ossibus infixus vel luem gallicam vel scorbutum inveteratum concomitatur ceu rodens vermis noctu mordet. In colica spasmodica, vel pictavica fixissimus tanquam terebra perfodit, contortus-

quetque intestina. Podagricus & arthriticus si saeviat, articulos quasi lacerat & findit. Hi & plures dolores, quos Pathologia recenset, cruciatu suo vix gravissimis cedunt tormentis. Cuncti, quamdiu persistunt, inter anxietates summas miseris perpetuis vexant vigiliis. Etenim ut hominem nervosum invadunt; spiritus aestuant. Hi, rapidius ruentes, ad commune centrum medullare alliduntur, ex quo, eis radii, quoquo versus dimanaverant. Eo ductu, vel incursu celerius concitantur illi, qui ad determinata perforunt organa, quae actionibus suis sanam proprie vigiliam celebrant. Quare & isti, jugiter impulsi, viam suam peractius percurrunt; unde universa machina nostra ad eandem ubique actuositatem perducitur. Anima tunc, quantum etiam connotatur, ejus a confortio se abstrahere nequit. Afficta illius conditione morbosa & conturbata, quocunque velis sympathiae effectu, in statione sua tenetur. Necesse est, ut pro Oeconomiae communis, cui praest, incolumenti excubet. Caveat modo, ne forte ex nimia molitie, vel intolerantia, in aegritudinem delabatur, vel perversis obsequatur affectibus. Hi raro compescunt dolores, sed contra magis magisque irritant, exasperant, eoque somnum longius amovent.

§. X X.

Unum ex praecipuis, qui pervigilium provocant, stimulis motus circulatorii edit excessus. Hic stricte nobis sanguinis denotat circuitum, naturali multo celeriorum, nec sine sensibili incommodo sustinendum. Velocitas haec ejus morbos ea crescere usque potest, ut prae-
fen-

32 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

sentissimam vasis ruinam minitetur. Illa vero, quanta quanta sit, nunquam magis, quam in febribus, emicat (§. XVI.). Hae simul atque ingruunt, viribus evocatis motricibus, circulationis celeritatem incredibiliter augent. Quaelibet quo acutiores sunt, eo acrius hanc intendunt & ad majorem evehunt gradum. Ex iis, quae continentes & acutae proprie vocantur, sanguinem tanta perniciitate circumagunt, ut igneo quasi flumine currat. Sola, quae ex hoc, ceu fonte, redundant symptomata inter febrilia maximo numero exstant. In his facile importunissimum esse pervigilium, crebro queritantur aegrotantes. Horum qui febribus continuis, plures dies emetientibus, afflictantur, eo aegrius aliis defungi molestiis solent. In variolis, morbillis & quibuscumque exanthematibus aurone carius paregoricum? Natura quietissima, durantibus morbis istis, ne momento quidem dulcem ex se somnum concipere potest. Nam quamdiu motus circulatorius tam tumultuose peragitur; sanguis, e corde violentissime projectus, in viscera omnia copiosius irrumpit. Hinc necessario eventu etiam datum intra tempus abundantius cerebrum involat atque cerebellum. Haec, turbido ejus appulsi stimulata, non adeo nobis largiorem promittunt spirituum proventum (hic enim aequabili solum moderataeque debetur humorum periodo); sed secretorum undulationes reddunt impetuosiores. Illorum pars quadam, his ad cor & sistema arteriosum velocius delata, vicissim virtutem contractricem ad validiorem fluidorum propulsionem incitat. Haec autem fieri nequit, quin & ipsa repente novum accipiat impetum & propaget. Hoc flagrante, actiones animales intemperato vitalium fervore accenduntur. Hae in

vigi-

vigilio fano, aequo ac somno, necessariam advehendo vigoris materiem, iis semper operam eximiam commondant (§. IX.). Verum quam vegetæ etiam in utroque sint statu; dormiendi tamen necessitatem antevertere facile vel superare non possumus. Ea accidente, anima-litas nostra non videtur vitae prosperae potestati amplius subjacere. Moderatior haec illam tum benigne sustentat, & fessam bono suo sinit requiescere.

§. XXI.

Motus circulatorius non solum excessu universali (§. XX.), sed particulari etiam pervigilium inducit. Prior, febrilis, in totum grassatur corpus; & posterior partes tantum superiores, & inter has potissimum caput offendit. Hoc scilicet toties impetunt humores, tum fani, tum morbosī; quoties vel eo versus attrahuntur, vel alia ex regione opposita quacunque resistentia appelluntur. Assluxus iste causas sequitur quaslibet, quae, intra cranium natae, vel irritatione infesta pariunt dolores, vel imminuta aequabili pressione renixum vasorum infirmant. Stimuli illi laciniantes ab acri, rodente, pungente, obstruente & inflammante materia nascuntur, ad quam excutiendam & eluendam arteriolarum, crebrius oscillantium, beneficio fluida allestantur. Haec, laxata encephali substantia vasculosa, quibuscumque applicatis, ad eam eo citius accurrunt; quo faciliorem inveniunt aditum. Multae sunt morborum vitiorumque species, quae sic dictae attractioni ansam praebent. Saepius vero cumulatiusque liquida sursum concedere solent, si, patentibus cerebri & cerebelli meatibus, vias cir-

34 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

culatorias inferiores, vel internas, vel externas, minus pervias, permetiri nequeunt. Hae videlicet angustatae, constipatae, occlusae, vel interruptae, quovis modo transituris obsistunt, obicemque quasi ponunt non superabilem. Ea tunc vero, manente mole eadem, canales libere permeabiles & apertos necessario subeunt, inundant & obruunt. Causae, transitum illorum inhibentes, esse possunt stagnationes, obstructiones & congestiones variae, in visceribus abdominalibus ex pituita, colluvie cruda, spissa, calculo, sanguineque atrobilioso ortae. Innumerabiles inde pariuntur passiones, quarum praecipuae hypochondriacae, hystericae, & colicae audiunt. Quiunque his affliguntur, sive mares sint, sive foeminae, quam molli etiam decumbant lecto, somnum quandoque diu oculis non vident. Inquietudine multa luctantes, suspirantesque, quo se convertant, nesciunt. Mirandum omnino est, quam longo tempore illi absque sensibili fere virium decremento vigilias pati possint. Vel si forte parumper obdormiscant, brevi & quidem minima re, organa feriente sensoria, vel & propriis insomniis expurgiscuntur. Neque existimes forte, pervicaces homines tales & querulos exigua laudani dosi posse spongi. Haec prima vel secunda vice, precibus annuent Medico, praebita, votis respondet. Verum iterata eadem post, tantum abest, ut animalitati conciliet quietem, ut majores majoresque turbas injiciat. Praeter haec non raro agrypnia a prohibita perspiratione insensibili nobis conficitur. Hanc inter omnes excretiones copiosissimam esse, admirabilis & patientia sua & sagacitate SANCTORIUS docet. Impedita jam illa, halitofum subtile retentum & introversum ut plurimum affe-

Etat

Etat caput aggravatque. Hinc, ut alia sileamus incommoda, quae ex defectu excretionis cutaneae profluunt, insomnia pernolesta evenit. Haec non prius recedit, quam corporis habitus blando & calido madore aequabilissime anhelet. Apparet inde, qui affectio illa frigentibus pedibus contrahatur. Nimirum his gelu adstringit, vasa coarctata & immeabilia ingressum liberum humorum remorantur. Hi, eo sibi negato, statim cito rivo sursum tendunt & secretoria spirituum organa concutiunt. Atque sani caeterum ad hæc affluendo illorum & generationem & actionem aliquamdiu provehunc. Ad Pervigilium autem producendum massa sanguinea magna nimis copia nunquam adscendere debet. Alioquin ea, qua turget, mole distentos cerebri meatus obsidet, obturat, opprimit, morbosque gignit soporofos.

§. XXXI.

Plures adhuc in sanguine insunt stimuli morbos, per vigilium qui suscitent. Multifarii hi tam origine sua, quam indole, ex ejus acritatibus emergunt. Ad harum species quae referuntur, spirituosa, aromatica & salina, tum acida, tum alcalefrens, corporis nostri succos plurimum inficiunt. In regionibus his borealibus pars maxima plebis omnis generis liquores fermentatos plenis scyphis haurit. Ii, qui meliori loco nati, rem habent, cerevisiis vetustis & vinis utuntur. Potus hi, simplices, vel compositi, more Anglorum, spiritibus scatent, quibus sponte caput petere solent. Modica si quantitate bibantur, cito in sanguinem penetrant &, accelerata circulatione, vigorem nobis inspirant prorsus singularem.

36. DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

Amici cerebro dein, vel spiritibus nubunt nerveis, vel cardiacorum nomine favent. Hinc uti cor exhilarant; ita & sensus serenant omnes ipsamque mentem aciunt. Atque hi, qua agunt, virtute generosi Lenaei latices & curas & somnum procul abesse jubent. Eadem autem si nimis strenue ducantur pocula, obruunt paulatim cerebrum, comprimuntque adeo, ut facultates animales ebrietate sepulta jaceant. Aromata, praeprimis Indica illa sapidiora fragrantioraque, effectibus suis vina fere aemulantur. Particula cinamomi, vel elaeosacchari hujus tantillum, linguae impositum, quam cito foemellas, animo licet, refocillent, norunt experti. Odore ejus suavissimo nervi olfactorii tam gratae titillantur, ut languentes restaurantur omnes. Non dubium est, quin ex interno corticis illius praestantissimi usu similis efficacia percipiatur. Croci pulvis, vel infusio, vi laetificante sua plus saepe pollit, quam dona pretiosissima. Ingesta ergo aromata haec, & plura, humoribus commista nostris, stimulo suo sensilissima irritando vascula pervigilium excitare, liquet. Quin etiam hoc multum tentantur, qui ex scorbuto, cacochymia & cachexia laborant. Hi, sive prima vespera, vel sera nocte, cubitum eant, torpidi semper obdormiscere nequeunt. Jactatione continua luc illuc magis magisque fatigant membra, & quod pessimum, nullum, quo quiescant, locum nanciscuntur. Mane resurgentis plumeis de stratis recubare optarent. Miserandi certe, pœnam licet plerique justam errorum exsolvunt, quos in vietu admiserunt. Nam valetudini minus, quam appetui pravo plerumque servientes, alimenta, nisi bene salita, respuant. Inde labes salina, sanguini adspersa, fibras, quas tan-

git,

git, nerveas arrodit & vellicat. Irritatio vero haec nec dum tanta evadit, ex qua ut dolor consequatur (§. XIX). Aegri, hujus adhuc expertes, diurnitatem tantum vigiliarum perpetiuntur.

§. X I I I.

Enarrata hactenus explicitaeque causae, vel morborum, tum acutorum, tum chronicorum effectus, principes sunt, quibus agrypnia cooritur. Illae omnes internae vocari possunt, quod ab innatis in corpore humano stimulis proficiscantur. Hi, ut vidimus, duplii ad sensorium commune pertinent via, quarum altera systema arteriosum, quod sanguinem vehit, & nervosum altera sequitur. Hoc quo longuis latiusque sese exten-dit (§. XIX); eo pluribus patet affectionibus, quae ad pervigilium provehendum accedunt. Sensationes illae variae, a doloribus quidem distinctae, at fatis ingratae tamen sunt, ut mentem distineant, Inter eas veniunt anxietates, quibus, ceu pondere quodam, praecordia premi, vel laqueo constringi, dicuntur. Per graves non nunquam a sanguinis mole, in pulmonibus accumulata, oriundae, spirirum arcte meare faciunt. Hujus angustiam expedire tantopere laborat natura, ut nullam capere quietem possit. Calor vitalis porro ex intemperie biliosa & circulationis rapiditate quandoque vehementer acceditur. Aestus hic ut solida fluidaque maxime expandit ac urit, ab ullo mortalium constanter tolerari nequit. Eo qui cruciantur, duro & frigido potius recumberent corio, quam lectulis nitidissimè instructis. Increscente calore, humores a centro ad periphriam celerrime ur-

38 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

gentur. Subtilior horum lympha tenuiorque, in arterias per recta cutaneas, laxatos perrumpit poros & toto specie sudoris corpore manat. Ejus difflatione massa reliqua, quae majorum vasorum ordines perfluit, spissescit magis, lentescit, incalescit, putreficitque. Exusta ita quodammodo non sufficit amplius humiditatem, ad irriganda interiora necessariam. Hinc, emunctis his, arescunt lingua, palatum, fauces &c; unde aspera sitis exardet. Hæc jam quo torquet acerbius aegrotantes; eo longius & anxius vigilant. Fervida illa siccitas, cum constrictione praeternaturali conjuncta, macerat itidem nervos atque crispat. Mutatio haec, a sanitate alienissima, nec ab anima patientissima absque afflictione continua perferti nequit. Quod attinet nauseam, horrem, famem, nimiam & tußim; haec & plura somni adventum morari sponte cognoscitur. Nec patet minus clare, huic demum externas obsistere causas, quae sensoria organa nimium percellant. Haec, minimo a communi dissidentia intervallo, ei impressiones suas brevi itinere integras & immutatas deferunt. Quare & hæc, illud fortissime ferientes, principium cogitans prævalide commovent. Hanc ob rationem veterum Medicorum sapientiores ad somnum proliendum consulunt, aegros, febribus acutis conflictantes, eminente ex per vigilio diuturno exitiali delirio, in locum, tranquilitatis plenissimum, locari & ab omni cum objectis removi commercio. Quem in finem obstrui fenestras, ne lux intret, linguae moderari, nec non strepitum caveri, jubent, adeo ut tenebris ubique profundum adsit silentium.

§. XXIV.

§. X X I V.

De Pervigilii causis satis jam ex instituto actum est. Cunctae, quo distinctius perspicerentur; quaelibet separatim & abstracte perlustranda fuit. Raro forte, vel nunquam, una alterave sola, sed plurium quidem concursu Agrypnia generari solet. Etenim haec, in quo cunque spectetur morbo, a multis & confluentibus admodum symptomatibus dependere observatur. Ad hoc commonstrandum, non abs re erit, exemplum ex Praxi Medica depromere. Phthisicus ex ulcere, pulmones depascente, permanentibus teneri vigiliis, in confessum venit. Ille, id si lente serpat, integros absque ulla ferre dormitione vivit menses. Impedimenta ejus pleraque, quae allata sunt, coexistunt. Suppuratione nascente, pars inflammata pulmonum dum disrumpitur, lacerans ingruit dolor (§. XIX.) Hic, obtusior quidem post, at satis tamen infestus, vomicae incrementum semper comitatur. Eodem tempore febris acutior ante, mitescens parum & remittens, sub quamlibet vesperam recrudescit (§. XX.). Pus, indies auctum, ut massa ponderosa ac iners, pressu continuato vasa sanguifera & aerifera gravat vehementer angustatque. Hinc intercludens plus minusve animam, spirandi difficultatem & anxietatem perpetuam (§. XXIII.) conficit. Sed licet collectum hactenus faceto suo coercentur, ne diffluere queat; sensim tamen in praerupta se insinuat vascula, inque motum deducitur. Sanguini tunc affusum & mixtum omnes in partes cacochymiam purulentam invexit (§. XXII.), febrimque hecticam alit. Hoc effetu redundans magis magisque acrimonia putrida &

flui-

40 DISSERTATIO THEORETICO MEDICA

fluida corrumpit macerat destruitque. Haec diruta solutaque effusissimo cum sudore nocturno, colliquativo communiter dicto, ejiciuntur. Siccescentibus vitae fontibus anhela sitis concipitur implacabilisque (§. XXIII.). Interea, mala illa pectoris hospes, tussicula aspera & sicca semper intercedit. Tot tamque acres sunt stimuli, qui perpetim & in omni ferme punto fodiunt afflictantque phthisicum. Haud mirum ergo videtur, hunc, somni naturalis beneficio privatum, anxiarum vigilarum finem non nisi cum vitae miserae exitu attingere.

§. X X V.

Pervigilium esse statum, qui ab Oeconomia animali valde abhorreat, ex omni parte cognoscitur. Etenim cum modum excedat (§. I.); ultra legem tendit, quam illam divino plane ordine temperari constat (§. XI.). Ab hoc autem hominem nunquam impune posse recedere, nemo facile in animum inducet. Nihil magis verum ex Apollineo editum oraculo fuit, quam Ovidianum illud:

Quod caret alterna requie durabile non est.

Certe ut vita sit quietissima, & sanitati optime attemperata; sarta tamen tectaque sine somno moderato servari nequit. Operosa nimis in se, actionum animalium vaccinatione opus habet ad vires, quas in iis consumpsit, instaurandas. Quidni etiam sana forte adeo dormiendi, quam edendi & bibendi, desiderium nobis sponte parit (§. XII.) Quare sic nata quantum a vehementi quodam

dam morbo, tantum a pervigilio diurno labefactari potest (§. XIV.). In hoc sensorium quodlibet organon, tam externum, quam internum commune, a varia rerum, sese objicientium, vel & stimulorum vi (§. XVII.) continenter afficitur. Hanc nullum ex iis absque majori minorive percussione, spirituumque agitatione, sustinet (§. XVI.). Utraque ex causa pars nervea, & quidem medullaris mollissima, quocunque velis motu, vibratorio vel undulatorio, plus minusve vellitur, trahitur, tenditurque. Eadem porro liquidi proprii impetu, ceu fluenti vitalis attritu, praeteneras fibrillas obterri, extenuari, absumi & infirmari, vix dubitare licet. Praeterea succus ille actuosissimus, tunc rapide actus, indesinenter ad aestheterium appellit, hocque pluribus semper paucioribusque in punctis commovet. Hinc irregularis & inordinata sensum, tum internorum, tum externorum, actio, representationum confusio, phantasmatum oberratio & evagatio, monstrorum apparitio, cogitationum omnium perturbatio, deliratio & miserri- mae mentis afflictio proveniunt. Sed insuper protractis longius justo vigiliis, organa quoque motoria operationibus suis solito acrius insistunt. Harum excessus in universi corporis certissimam cedit perniciem. Eo hoc tam servide cietur, ut cum animalibus vitales functiones alterentur. Nimirum illarum exercitatione immia sistema circulatorium ad humores suos impetuosi circumvehendos stimulatur. Hi inde mox aestum praeternaturalem, acrimoniam, spissitudinem, pessimamque diathesin melancholicam concipiunt (§. XXIII.). Ex his quam plurimi & diversissimi progignuntur morbi.

42 DISSERT. THEORET. MEDICA INAUGUR.

bi. Praecipui horum nominandi sunt tabes , macies, debilitas summa, febris, misanthropia insaniaque. Eorum alii ex aliis incident, somnumque demum omnem proturbant. Hoc sublato , exclusa omni quietis spe , spiritus sensim arctius meat arctiusque , donec ultimo vigiliae funestae momento extremus avolet.



T H E-

COROLLARIA.

I.

Vigiliae sanae tempora in genere definiri nequeunt.

II.

In quolibet morbi statu non aequa periculofum accidit pervigilium.

III.

Somnus meridianus non videtur prorsus esse dannandus.

IV.

Animi affectus vim opii narcoticam quandoque superare possunt.

V.

Veterum consilium bibendi aquam ad somnum pellendum, lucubrationis potius, ac valetudinis rectae, usum spectat.

VI.

Homo pervigilio citius quam somno conficitur.

VII.

Dormiens totus vivit sibi.

VIII.

Idem in hieme diutius, quam aestate, dormit.

~~H~~
6.8